



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 48. Symmachus Papa. Schisma Laurentii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V. obstitit Imperator. Imo inter Festum,
A. C. 498. & Imperatorem secreto convenisse fe-
runt, persuasuros se Papæ, ut Zenonis
Henotico subscriberet. Interim Festus
Romam reversus Anastasium Papam re-
perit mortuum. Is enim obierat 16. Nov.
anno 498. postquam Sacram Sedem annis
Lib. Pont. duobus non integris tenuisset. Una Or-
dinatione Mense Dec. creaverat Presby-
teros duodecim, & alias Episcopos sex-
decim. Confessionem S. Laurentii ar-
genti octoginta libris appensis ornavit.

§. XLVIII.

Symmachus Papa. Schisma Lau- rentii.

Anastasio suffectus est Symmachus Dia-
Theod. ibid. *conus, Fortunati Filius, in Sardinia*
natus. Verum Festus Patricius, cum
talem vellet Pontificem, qui Henotico
subscripturus esset, multos pecunia cor-
rupit, qui eodem tempore Laurentium
Archи-Presbyterum elegerunt. Ambo
eadem die ordinantur, Symmachus in Ba-
silica Constantini, cui major numerus fa-
vebat, Laurentius in Basilica S. Mariæ.
Greg. IV. Inter cœteros, qui Laurentium seque-
Dial. c. 40. bantur, illustrissimus fuit Diaconus Pa-
schinus, quem eximia virtus, cura pau-
perum, & sui ipsius contemptus, commen-
dabant. Is quoad vixit, Laurentio ad-
hæsit

hæsit. Duos de Divinitate Spiritus S. Sæculum V.
libros, qui nobis supersunt, scripsit. A.C. 499.

Ut Schisma tolleretur, inter Partes
convenit, ut ambo Electi Ravennam
irent, Theodorici Regis utcunque Ariani p. 118.

Bibl. PP.
Paris. to. 8.

Judicium subituri. Pronunciavit Rex;
illi Sacram Sedem deberi, qui prior or-
dinatus fuisset, aut cui major eligentium
numerus suffragaretur. Cum igitur istud
Symmachi Electioni conveniret, Legiti-
mus Pontifex habitus est, & S. Sedem ul-
tra annos quindecim tenuit. Pontifica-
tus sui initio prima die Martii post Con-
sulatum Paulini, id est, anno 499. Romæ
in Basilica S. Petri septuaginta duorum
Episcoporum congregavit Concilium, cui
ipse præfuit.

Fulgentius Archidiaconus Actis ini-
tium dedit, dicens: *Sanctitas tua missis*^{to. 4. Cont.}
per Provincias mandatis numerosam^{p. 1312.} *banc*
Synodum Episcoporum Italæ convocavit;
jam decernat, quæ ad securitatem, & Pa-
cem Ecclesiæ pertinent. Omnes Episco-Concilium
pi, & Presbyteri exclamarunt: *Jeſu*^{Romanum.}
Christe, exaudi nos! vivat Symmachus!
rogamus, ut facias. Has voces decies
repetierunt. Papa dixit: *convocavi vos,*
quamvis tempestas sit perfrigida, ut apti-
sima quæramus remedia, quibus Episcopo-
rum ambitus coercentur, & tumultus po-
populares, quales in Ordinatione mea excita-
ti fuere, compescantur. Perpendamus

K 3 igitur,

Sæculum V. igitur, quæ imposterum in Ordinatione
A. C. 499. Episcopi Romani observanda sint. Omnes Episcopi, & Presbyteri dixerunt: rogamus, ut hæc fiant. Tollantur Scandalæ. Æmulationes extinguantur. Postquam acclamations istæ sæpius fuere repetitæ, jussit Papa, ut Æmilianus Notarius Decreta Concilii prælegeret.

In primo Decreto dicitur: *Si quis Presbyter, Diaconus, aut Clericus, vivente Pontifice, & ipso ignaro, subscribere, Suffragium suum data Schedula, aut edito juramento promittere, aut in quocunque privato Conventu bac super re deliberare præsumat, deponatur, aut excommunicetur.* In secundo. *Si Papa morte repentina decebat, ita ut nihil de Successoris Eleccióne potuerit decernere, (*) ille consecrabitur Episcopus, quem omnium Clericorum, aut Majoris Partis Suffragia elegrint.* In tertio. *Si quis ambientium Machinationes, quas modo damnavimus, deferat, & probet, non tantum, si conscius fuerit, absolvetur, sed etiam mercedem feret.* Tum Patres consensum suum multoties acclamando professi sunt. Subscripsere septuaginta tres Episcopi, si etiam Papa annumeratur, cujus verba in Subscriptione hæc sunt: *Celius Symmachus*

(*) Nempe mos erat, viventem Pontificem de Successore consulere.

ibus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Civitatis Sæculum V.
 Romanæ Episcopus Subscripti bis Decretis A. C. 499.
 Synodalibus, quæ approbavi. Deinde subscripsit Rusticus Episcopus Minturniensis,
 Bonifacius Vellitriensis, Misenus Cumani-
 nus, aliqui, quos pro ratione temporis
 ordinationis suæ subscriptisse conjectura
 est. Tum visuntur Nomina Presbytero-
 rum sexaginta septem, quorum primus
 est Celius Laurentius Archipresbyter Ti-
 tulo S. Praxedis, ille ipse, qui Antipapa
 electus fuerat, & postea Episcopus Nu-
 cernus fuit. Tandem Diaconi quinque Theod. Lett.
Lib. Pont.
 nomen suum apposuere.

§. XLIX.

*Symmachus coram Theodorico accu-
 satur.*

Haud diu exinde Clericorum Romano-
 rum aliqui, & nonnulli ex Senatu
 maxime Festus, & Probinus, Symmachum
 Papam horrendorum criminum insimula-
 runt, testesque subornatos ad Regem
 Theodoricum Ravennam miserunt, cum
 que simul Laurentium clam revocassent,
 Schisma recruduit, Clericorum Parte
 cum Symmacho, altera cum Laurentio
 communicante. Festus, & Probinus pe-
 tierunt a Rege, ut Episcopum Visitatorem
 Romam mitteret, ut mos ferebat, si qua
 Ecclesia vacaret. Rex Theodoricus mi-
 K 4 sit